GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/relectioanalytic0000guil

ARENDT, WILHELM, 1852-1927.
Ricevuta in omaggio dall'Autore.

RELECTIO ANALYTICA

SUPER CONTROVERSIA

DE IMPOTENTIA FEMINAE

AD GENERANDUM

AUCTORE

GUILLELMO ARENDT e S. J.

(Extractum ex Ephem. « Acta Pontificia »)

BIBL. TH. P. R.

ALMA COLLEGE LIBRARY Los Gatos, Calif.

ROMAE
SUMPTIBUS FRIDERICI PUSTET
Editoris Pontificii

MCMXIII

RELECTIO ANALYTICA

SUPER CONTROVERSIA

DE IMPOTENTIA FEMINAE

AD GENERANDUM

AUCTORE

GUILLELMO ARENDT e S. J.

(Extractum ex Ephem. « Acta Pontificia »



ROMAE
SUMPTIBUS FRIDERICI PUSTET
Editoris Pontificii

MCMXIII

52905

Roma, 1913 - Tip. Editrice Romana, via della Frezza.

APPROBATIO OPUSCULI

Imprimi potest.

Octavius Turchi S. J.
Praepos. Prov. Rom.

Imprimatur — Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. Ap. Magister.
Imprimatur — Franciscus Faberi, Vic. Urbis adsessor.

MONITUM MODERATORUM EPHEMERIDIS.

Quemadmodum promissum fuit a nobis, mense martio praeteriti anni 1912, nolumus occasionem negligere praebendi nostris humanissimis subnotatoribus aliquod **doctrinale supplementum**, praeter authentica Sedis Apostolicae Documenta et consuetas Cleri Romani Collationes. Praesentis Dissertationis Auctor, multis Theologis satis notus, quaestionem *de matrimonio feminae excisae*, ad extremum dissensus punctum reduxit, discrimen scilicet quod intercedit inter finem a contrahente matrimonium necessario intendendum ut valide agat, et finem ab utente eodem matrimonio intendendum ne illicite operetur. Unde Lector media procedens via, logice perducitur ad conclusionem extremis hucusque propositis intermediam. Litem enim a multis annis apertam S. SEDES nulla doctrinali sententia definivit; et practicae decisiones a Suprema S. Officii Congregatione ac subinde a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum pluries editae, tantum abest ut de alterutra conclusione praeiudicent, ut incertitudinem potius praesupponant quaestionis diuturna disceptatione inter catholicos Doctores nondum eliquatae.

Kalendis februarii, 1913.

INDEX SYNOPTICUS

CAUSA SCRIBENDI. . . . . *Pag.* 7

PROPOSITIO I. — Totalis utriusque ovarii uterive deficientia in femina cuius vagina est copulae perfectae idonea, nequit sola praecisive spectata, impedimentum constituere iure naturae dirimens coniugium. N. 2-10 . . . . . » 8

COROLLARIUM I. — De sterilitatis definitione. N. 11 . . . » 13

COROLLARIUM II. — De copulae definitione. N. 12-14 . . . » 14

SCHOLION I. — De usu ecclesiastico recentioris physiologiae et chirurgiae. N. 15 . . . . . » 17

SCHOLION II. — De impedimentis iuris naturae dubiis. N. 16 . . » 17

PROPOSITIO II. — Totalis utriusque ovarii uterive deficientia in femina cuius vagina est copulae idonea, ubi vix evaserit per se facile cognoscibilis ante contractum connubium, ipsum irritat tantummodo ex capite consensus substantialiter vitiati. N. 17-19 » 18

COROLLARIUM I. Duplex modus vitiandi consensum. N. 20 . . » 20

COROLLARIUM II. — Quid legi ecclesiasticae decernere sufficiat in re praesenti. N. 21 . . . . . » 21

SCHOLION I. — De ignorantia accidentaliter concomitante defectum in se facile cognoscibilem. N. 22 . . . . . » 21

SCHOLION II. — De concupiscentiae sedatione, prout effectus est copulam concomitans. N. 23-33 . . . . . » 22

PROPOSITIO III. — Copula viri cum uxore quae post connubium valide initum, recisa fuit, non demonstratur iure naturae prohibita. N. 34-41 . . . . . » 31

EPILOGUS. — N. 42-49 . . . . . » 37

CAUSA SCRIBENDI.

1. Dum a multis annis protrahitur catholicos inter Doctores, disceptatio de impotentia feminea in ordine ad matrimonii tum validitatem, tum consummationem, mihi argumenta perpendenti hinc inde prolata, admiratio haud levis nunquam non subiit de modo quo saepe praemissae etiam bonae ad conclusionem ipsas excedentem praepropere detraherentur. Quod ceteroquin eo facilius evenire solet, quo tenacius partes adversae diuturna controversia implicatae, sensu extremo, utraque suo, detinentur. Ut ergo quaestioni extricandae conferatur, media via plerumque est requirenda. In eà porro, relate ad praesens disputandi obiectum, nonnulla mihi iam pridem occurrerunt quae liti finiendae, uti reor, non parum possent conducere.

Ea tamen mihi de meo sensu diffidenti, in scrinio mentis visa fuissent asservanda, nisi egregii consodales quibus eadem conversando exprompseram, animum addidissent ut hunc quaestionis aspectum a me excogitatum, utrique adversariorum parti apertius proponere non ambigerem. Protestor tamen, dum id hodie exsequor, me mihi nullatenus arrogare partes arbitri tantos inter Doctores, neque ipsummet ad certamen in campum prodire velle, sed modeste suggerendo quae cogitavi, me eum solummodo finem intendere ut, si forte peritorum suffragium retulerim, veritatem in re tanti momenti feliciter potuerim edoceri.

Cum alloquar eruditos, a statu quaestionis proponendo, terminis explicandis auctoribusve citandis fere prorsus me abstineo et contentus sum scholastice demonstrandi tres meas propositiones.

PROPOSITIO I.

Totalis utriusque ovarii uterive deficientia in femina cuius vagina est copulae perfectae idonea, nequit sola praecisive spectata, impedimentum constituere iure naturae dirimens coniugium.

2. Duo praenotanda. — I. Nolo equidem arguere ex non paucis responsis S. Officii aetate nostra in ea materia datis ac pervulgatis, quippe quae ab adversa parte utraque in suum sensum explicantur; sed ab iis nunc abstraho in quaestione ceteroquin nondum definita ac praefero intrinsecas rerum rationes penitius perscrutari, quas si valuerim sub nova luce evidenter demonstrare, profecto et ipsius S. Officii utilitati conferam: supremum enim hoc Tribunal in practicis responsis (qualia fuerunt praedicta) respectum solet habere ad statum doctrinae in scholis catholicis communiter traditae a quibus obscura et incerta disputari permittit, quo tandem perducantur, si fieri potuerit, ad evidentem demonstrationem; qua obtenta, S. Sedes, si opus fuerit, veritatem aliquo decreto confirmat. Longissime absum idcirco a temeritatis ausu dum concessa utor libertate, censurae subiectus paratusque ipsi obtemperare.

3. II. *Subiectum* de quo in praesenti vertitur, est femina cui utrumque ovarium uterusve totaliter deficit. Huiusmodi defectus raro est congenitus sed frequentius potest arte chirurgica etiam totaliter induci. Porro in hac propositione defectus spectatur in se, praecisione omnino facta a causa unde ortum habuerit atque ab eo quod quispiam fuerit conscius existentiae ipsius. In sequenti vero propositione, cum rescissio illorum organorum nequeat celari saltem ipsi feminae cuius matrimonium dicitur inde invalidum, loquar praecipue de femina *recisa;* quin tamen intendam excludere feminam cui anomalia esset congenita *si unquam contingeret eamdem esse certo cognitam.* Si ipsa positive dubia foret, quod minus difficile accidit, constat ex principiis generalibus de matrimonio dubio ex dubio facti, quid in praxi esset agendum.

4. Probatio. — Veritas conclusionis efflorescit ex analysi proprietatis quae omni competit impedimento iure naturae connubium dirimenti.

Matrimonium scilicet uti contractus, *actus publicus* est et fundamentum omnis ulterioris societatis cui instituendae natura homines impellit. Porro cum eadem natura regimen huiusmodi contractus, *supremae* tradiderit potestati *humanae* cui contrahentes subsunt (1), necesse omnino est ut conditiones validitatis talis contractus *humano etiam modo* comprobari possint. Atqui totalis utriusque ovarii uterive defientia in femina cuius vagina est copulae perfectae idonea, ordinarie aequit *humano* id est, communi atque obvio modo comprobari. Ergo ipsa sola praecisive spectata, nequit impedimentum constituere iure naturae dirimens coniugium.

5. **Maior** demonstratur 1) *inductionis* argumento, ceteris singulis respectis iuris naturae impedimentis quae etiam *per accidens* occulta omnino, *subiectum* efficiunt connubio ineundo ineptum, ideoque agnita post connubii celebrationem, ipsum demonstrant nulliter initum: horum nullum est, ne virili quidem impotentia excepta, ad quod in casu particulari verificandum, *factum ex quo ipsum resultat*, suapte natura non obviaceat, antecedenter ad contractum ineundum, mediis certae demonstrationis *naturalibus*, *communibus et satis obviis*, omni tempore et loco, in humano consortio, praecisione etiam facta a progressu scientiarum et artium quae physiologiae et chirurgiae inserviunt (2).

Maior eadem demonstratur 2) *ab absurdo:* natura enim satis non providisset, quantum nempe exigunt connubii fines, stabilitati consortii coniugalis et familiae, si dirimens constituisset impedimentum in aliqua conditione quae suapte natura, *per se* nullatenus posset ante initum coniugium cognosci ac praevideri sed tantummodo *per accidens* mediis extraordinariis, imo per multa saecula ignotis, quibus neuter consorum tenetur se subiicere. Non pauca enim connubia in ea hypothesi, *per se* essent et *vi legis naturae* nulliter contracta ideoque dissolvenda sine remedio, *quin sponsi valuissent morali possibilitate ullamus praecavere* ab hac unione ineunda. Quod quidem huiusmodi sub-

---

(1) Hanc doctrinam ex professo demonstravi in op. Analysis Decreti *Ne temere*, P. I. C. I., pag. 5 seqq.

(2) Non loquor, ut per se patet, de construenda probatione *iuridica* illius rei, sed de certitudine physica vel morali illa qua in humano consortio *contingentia* vulgo dicuntur *certo sciri*. Nec loquor de gente in barbariem delapsa vel de societate aliquatenus saltem exculta quae spectari solet ad leges morales per inductionem stabiliendas.

stantialis error identidem *per accidens* occurrat relate ad quodlib impedimentum, nemo mirabitur praesertim in statu naturae lapsae; s talem errorem ipsi constitutioni naturae deberi nemo contendere aus sit quin ipsum naturae Auctorem insipientiae arguere videatur.

6. Absurditas huius consectarii augetur si advertamus subiectu supremi regiminis connubii inter christianos, vi etiam legis natura esse Ecclesiam quippe quae se demonstrat per motiva credibilitatis, Deo praeditam auctoritate sociali, omnium suprema. Ecclesia itaque hoc exercendo regimine, nedum contrahens solus suo in connubio, errore per tot saecula passa esset inevitabilem mediis ordinariis quae sola ip suppetebant: ipsa nempe, omnibus etiam adhibitis cautelis, de fac permisisset connubia ista iniri, quae tamen legi naturae repugnaren idque *per se* nequaquam vero *per accidens* tantum. Nemo non vid quantum huiusmodi ineptitudo repugnet supremae morum Magistrae, Christo D. constitutae ut ius naturae vel ipsum inappellabili iudicio inte pretetur, compleat in minus determinatis ac tum in publico societat christianae usu, tum in privata fidelium observantia cum securita promoveat. Non enim agitur solummodo de obligatione morali qua unum adstringat individuum coram Deo et conscientia, sed agitur o hac quidem secundarie et consequenter, primarie autem de actu public uti iam monui, cuius firmitas fundamentum est omnis humani con sortii (1).

Nec satis: agitur de actu publico quod *Sacramentum* simul es nec gratiam suo fini propriam confert, uti patet, nisi fuerit valid collatum: hisce igitur coniugibus christianis in bona fide constituti gratia sacramentalis irremediabiliter deficeret: idque nequaquam *p accidens* verum per se, *vi necessitatis naturae ac deficientiae potestat u Christo in Ecclesia constitutae*. Haec profecto tam enormia cuiqu merito videbuntur, ut omnino nequeant propugnari ac ne quide tolerari.

7. **Minor** primi argumenti est nunc demonstranda. Videamus sc licet qua ratione se praebeat suapte natura dignoscendam in femin illa organorum deficientia de qua prima mea propositio.

Quaedam summi momenti praemittenda. — Inter validitatis co

(1) Qua de re lege sis, ciiatum meum opusculum, pag. 9, 10 cum nota

tiones in connubio, ambigendum non est quin praecipua et funda-entalis sit *naturalis aptitudo utriusque partis* ad congressum mari-lem exercendum **ex quo proles gigni possit.** Revera si hic effectus ddatur impossibilis ex substantiali *ipsius copulae* defectu, *nemo ffitebitur* partem huiusmodi ineptitudine perpetuo laborantem, iure turae a connubio omnino arceri. Ne quidem ad effectum refrenandi in-ntinentiam, isti potest permitti connubium. Nam exercitium illud ap-titus sensualis unde sequitur sedari concupiseentiam, licite procurari quaquam potest nisi primo quidem *in ordine ad copulam, non contra nc ordinem;* simulque secundo, ab iis solis qui legitimo uniti sunt ma-imonio. Qui igitur, sive vir sive femina, perpetua afficitur ineptitudine *pulae vel solius,* modo naturali ac substantialiter perfecto habendae, ex ipso iure naturae invalide nubit, etiam in sententia eorum qui nsent ad solum finem sedandi concupiscentiam, quandoque posse iniri nnubium.

8. Dum porro omnes in id conveniunt, eo ipso implicite conce-int *saltem* eam generandi possibilitatem *quae oritur ex essentiali-is* **copulae** *elementis*, significari per illud ultimum incisum, *ex quo roles gigni possit.* Aliis verbis: cum possibilitas id est, potentia hysica generandi complectatur plura organa ex quorum successiva ope-tione effectus dependet, *omnes admittunt necessariam* esse ad vali-tatem connubii, *physicam* **coeundi** *saltem potentiam cum essentiali abitudine quae eius organis inest, ad ulteriorem* **generandi** *po-ntiam quae aliis feminae organis constituitur ac post coitum exer-tur;* atvero *non omnes* admittunt eamdem *sufficere.* Qui hanc affir-ant sufficientiam, eo ipso in copulae definitione, debent potentiam enerandi tamquam finem *operis* intentam intelligere *inadaequatam,* olam nempe physicam potentiam quae oritur *ex solis copulae organis,* ropter essentialem habitudinem quae hisce inest ad generationem. Illi e ontra hodierni Doctores qui hanc sufficientiam negant, possibilitatem *enerandi* tamquam finem *operis* intentam intelligunt *adaequatam,* quae empe oriatur *et* ex intrinseca habitudine organorum *copulae,* sicut orum adversarii, *et insuper* ex aptitudine ulteriorum feminae organorum uibus ipsa completur generatio. Inde elucescit quomodo omnes quidem *verba* definitionis copulae convenire possint, dum in *explicatione* di-repant ultimi incisi, *ex quo proles gigni possit.* Inde provenit etiam uod *omnes* sibi favere contendant antiquos, quippe quos vident apposuisse

in sua copulae definitione, ultima illa verba, *ex quo proles gigni poss* vel alia aequivalentia; sed dissentiunt in interpretatione quam pa utraque diversam antiquis attribuit, eorumdem verborum.

9. Distinctionem inter adaequatam atque inadaequatam generan potentiam valde perspicue intelligemus, si prae oculis habuerimus de criptionem processus generativi quam physiologia moderna nobis exhibe Prolis scilicet generatio multiplici et successiva operatione obtinetu ex parte quidem viri *penetratione* in femineam vaginam ac *seminatione* a *eadem*, cui consequitur fecundatio feminei ovuli; ex parte autem femina spermatis virilis *receptione; ovulatione* cui consequitur *fecundatio* e occursu spermatis in ovulum; *gestatione foetus et partu.* Copulae itaqu essentialia sunt 1) vagina feminea, quae hinc quidem penetrationis susc piendae sit capax, illinc autem non penitus occlusa; 2) membrum v rile quod spontanea erectione vaginam tantum saltem penetrare valea quantum sufficit ut semen, immediate in ea eiaculatum, ab ipsa ret neatur; 3) ipsum virile semen.

Porro cum istorum organorum functio consistat tota in eo u semen collocet in via qua *naturaliter* devehitur ad locum ubi ulterior feminae organa valeant ipsum adhibere ad fecundationem ovuli, eviden omnimo est intrinseca atque essentialis copulae ordinatio ad genera tionem; evidens pariter est copulam suapte natura, utpote generativ processus inchoationem, partem constituere essentialem *possibilitatis eiu iuxta naturae ordinem*, sive *ipsius physicae generandi potentiae.*

10. His diligenter perpensis, facillime sequitur *demonstratio minore* primi argumenti: ovaria atque uterus copulae ipsi perficiendae nequa quam inserviunt, sed ulteriori tantummodo processui quo generati completur per copulam initiata. Atqui omnes istae functiones, primam in vagina seminationem naturaliter in femina subsequentes, *percipi sens intimo nequeunt* dum actu se exercent, sed ex solo effectu locum habuiss postea produntur. Effectus autem, uti notum est, deficere potest tan ex *accidentali* obstaculo quo potentia generandi *physice existens*, : functione complenda detinetur, quam ex *substantiali* eorumdem orga norum deficientia, ut in femina de qua disputamus. Qua propter d aptitudine *substantiali* huius feminae ad eas functiones exercendas iudicium exclusive peremptorium humano modo *ex ordinaria experientie*

beri communiter nequit (1), sed tantum ex praesumptione fundata in a naturae constitutione: natura quippe, nisi de eius defectu consti-it, praesumitur in singulis apte constituta ad prosequendum totum raneum processum quem prima penetratio et seminatio intra vaginam tiavit.

Utràque praemissa primi argumenti ita demonstrata, concludere itime possumus vere impossibile esse ut ovariorum uterive deficientia *se* constituat impedimentum iure naturae dirimens matrimonium, dum latet, nequit officere quominus femina **praesumenda** sit ge-rationi apta ideoque a connubio non arcenda.

COROLLARIUM I.

De sterilitatis definitione.

11. Hic notanda venit quaedam aequivocatio quae si occurrerit in ellectu notionis sterilitatis, facile distrahet ratiocinium a recto mite.

Ex negativa primae propositionis conclusione, statim sequitur, fe-nam quae, dum est copulae perfectae assueta, nunquam concipit ex pradicto defectu ingenito sed omnino latente, **uti sterilem esse repu-dam.**

Revera, si quis sedulo comparaverit definitiones sive potius descri-ones sterilitatis ab AA. traditas (2), non aegre perspiciet eis singulis rilitatem tantummodo *ab effectu* definiri, nec causam eius *exclusive* erminari atque in definitione tamquam essentiale elementum exprimi. scilicet huiusmodi institueretur definitio nequaquam expectanda fuit humano consortio atque in Ecclesia, perfectio illa exquisita artis rurgicae et physiologiae quam aetas nostra tandem consecuta est, ab antiquo semper satis fuit experientia quotidiana communiter tingentium in obvio processu generationis humanae. Iamvero haec nines docuit duo tantum relate ad sterilitatis notionem: primum

(1) Indicia quae anomaliam comitantur congenitae absentiae horum or-orum, non sunt effectus eius *exclusivi*. Cfr. Antonelli, *Medicina pastor.*, n. 183, 99, 100.

(2) Multas huiusmodi descriptiones tam ab antiquioribus quam a recen-ibus traditas, congessit Antonelli, *Medicina pastoralis*, II, n. 141 ad 167.

nempe, feminam perfectae copulae assuetam, eo ipso **praesumi debe** etiam intraneis solius generationis organis praeditam esse a natur donec contrarium non omnino innotuerit; alterum quod ex hoc prin consequitur, factum constans deficientiae generationis in huiusmodi f mina, non posse cum exclusiva certitudine attribui functionali tantu atque accidentali illorum organorum perturbationi: effectus enim omni identicus consequitur etiam substantialem eorumden deficientiam; s necessario attribuendum esse *disiunctive atque indeterminate*, VEL hu VEL illi causae. Unde ab omnibus omnique aetate, sterilitatis definit constituta est *ex effectu tantum*, ex constanti nempe illo solo facto femina ceteroquin perfectae copulae assueta, comprobato.

Haec protecto eàdem ineluctabili necessitate sequuntur ex pra missis in prima propositione evolutis, ac ipsa propositionis conclusi- relate enim ad praxim omnium gentium imo et Ecclesiae in regimi connubii, pari necessitate supponenda est mediis communibus obvia facilis sterilitatis notio, ac ipsius actus maritalis.

Atvero, si ita est, manifeste excedit virtutem praemissarum, il qui velit ex demonstrata prima thesi, absolute et simpliciter concl dere: ergo, cum sterilitas huiusmodi feminae nunquam habita sit, du latet, uti impedimentum dirimens matrimonium, ipsa, nec postqua innotuit occultus substantialis defectus ex quo causabatur, matrimon contrahendo officiet. Patet enim aequivocatio: sterilitas in supradic femina, audit merum effectum *causae indeterminatae;* nunc vero, po quam haec causa evasit manifesta, ipsa simul cum illo suo effect ipsaque determinatissima venit comparanda cum omnibus et singu elementis quae essentiam constituunt connubii contrahendi; sique u vel soli reperta fuerit opposita, ipsa causa non vero *sola sterilitas*, eo solo capite matrimonium dirimet.

COROLLARIUM II.

De copulae definitione.

12. Mentionem paulo supérius feci de noto dissensu, hodier inter Doctores, in explicanda copulae definitione. Iamvero ex eod principio ex quo deducta est ultima conclusio, immediate sequitur eti essentialia elementa copulae maritalis, quae sola debent in eius d

ne recenseri, non posse includere huiusmodi occulta organa functio-
ue occultas, sed ea tantum organa cum respectivis functionibus,
um aptitudo *antecedenter et humano modo supra explicato, in
que contrahente cognosci potest* (1). Eodem enim titulo quo ea co-
scibilitatis conditio necessaria est existentiae impedimenti, eodem
requiritur definitioni matrimonii: impedimentum sane iuris naturae
oritur nisi ex deficientia saltem unius e constitutivis eiusdem.
vero copula, uti iam vidimus, est elementum praecipuum, utpote
m obiectum ad quod ius traditur in illo contractu.

Itaque ex dictis nn. 7-9, constat copulam posse per quatuor suas
sas perfecte definiri: vagina, membrum virile et semen mutua actione
passione constituunt binas *intrinsecas* copulae causas: penetratio
mbri virilis in vaginam est causa *materialis;* seminis effusio in va-
, causa *formalis;* vir et femina coeuntes sunt prima causa *extrin-*
, scilicet *efficiens;* altera denique causa *extrinseca*, nempe *finalis*
generatio non quidem de facto omnino obtinenda, sed *de possibi-
te*, praecise in quantum haec possibilitas constituitur per illa organa
rum aptitudo *mediis ordinariis vulgoque obviis innotescit.*

13. Ita, si praescindamus a falsa antiquorum persuasione de *semine
ineo* (2), videntur posse optime explicari copulae definitiones in
im scholis receptae, dum hi antiqui *intrinsecas copulae causas* po-
runt in sola *coeundi* potentia, *generandi* potentiam non quidem
ttentes, sed PRAESUMENTES eam ex natura non deesse in organis
inam subsequentibus; generandi quidem possibilitatem in eadem defi-
one posuerunt, verumtamen tamquam *finem operis* id est, *ex ipsa*

(1) Notum est viri impotentiam absolutam ad penetrandum vel ad semi-
dum, se prodere externis indiciis adeo probabilibus ut dubium *facti* possit
mni tempore anteacto potuerit facile innotescere ante contractum saltem
ipsi, idque independenter a recentioris aetatis inventis; porro hoc satis
ut praecaveri semper potuerit a contractu ineundo. Non ita de occultis illis
inae anomaliis in organis *generationis.*

(2) Praesupposito hoc praeiudicio, spontaneum erat antiquis recurrere ad
m seminum commixtionem *in actu copulae*, ut explicarent **quomodo** vir et
ina ambo possent praedicari *in ea ipsa* fieri una caro; quin, ad idipsum
licandum, mentem converterent *ad habitudinem transcendentalem quae co-
ae inest* relate ad subsequentes functiones. Haec autem, sicuti mox ostendam,
ne sufficit ut per eam solam ambo simul coniuges praedicentur *in ipsa co-
a fieri una caro.*

copulae natura atque intrinseca ordinatione, uti paulo ante explica prosequendum. Unde mihi parcatur si dixerim incohaerenter et gratu iis antiquis attribui quod potentiam generandi recensere intende inter intrinsecas definitae copulae causas, *prout ipsa includit eti occultorum feminae organorum aptitudinem.*

14. Ineptum etiam est quod obiicitur, coniuges nempe nequaqu in coitu sed in occursu spermatis in ovulum, id est in conceptio fieri *unam carnem;* ut inde deducatur physicam possibilitatem proces generativi qui copulam subsequitur, inter *intrinsecas* ipsius copu causas in eius definitione esse intelligendam. Hoc profecto ineptum e nam in copula qualis explicata est, atque in ea *vel sola*, perfecte co probatur divina illa maritalis congressus descriptio: *erunt duo in car una* (Gen. II, 24). Sane in ea vel sola, sive conceptio sequatur, s ex qualicumque defectu obtineri nequeat, *ipsi coniuges* iam non su duo *sed una caro*, sicut Christus D. explicavit (Marc., X, 8.). Nimiru vir et femina *coniunctim*, in tantum praedicantur esse una caro esse in carne una, in quantum *actu fiunt unum physicum principi* a qno initium accipit humana generatio. Atqui in copulae congres tantum, vir et femina *actu* fiunt *unum physicum* huiusmodi principiu et quidem in copula sola, facta praecisione ab ulteriore generatio processu quippe cuius *principium quod* non est *actu etiam vir* sed s femina: in eo enim ulteriori processu solus viri effectus, nempe sem eius concurrit et quidem tanquam *principium quo*, dum sola femi est *principium quod* cuiuscumque actualis et physicae attribution Propter copulam e contra eiusque habitudinem connaturalem ad ge rationem, illi ambo qui eam perficiunt, adamussim dici possunt fi actu una caro atque actu esse in carne una. Ne itaque scriptori ins rato inaccuratum attribuamus scribendi modum ut nostrae faveam interpretationi.

Tandem explicatae doctrinae de copulae definitione, gravissime vera suffragatur constans Ecclesiae praxis, quae illa eadem et sola d nitione innixa, eamque de potentia coeundi tantummodo intellige sensu explicato, legibus suis definivit et practice exercuit regimen cc firmandi solvendive matrimonium. Profecto difficile est effugere str gentem vim huiusce argumenti.

SCHOLION I.

De usu ecclesiastico recentioris physiologiae et chirurgiae.

15. Ex dictis sub n. 5, *non sequitur* Ecclesiam penitiora parvi-ndere physiologiae inventa quae aetati nostrae debentur, dum his ediantibus. occulti naturae defectus hodie facilius deteguntur: sequitur ro tantum Ecclesiam his non indiguisse per tot saecula ad regimen nnubii legitime tutoque exercendum, ideoque his non indiguisse ad pedimenta iuris naturae, sive ut magis accurate dicam, ad facta ibus ea nituntur, cum certitudine morali dignoscenda: ipsi quippe tis erat in hunc finem, communis disciplina ordinariumque exercitium tionis naturalis quam insuper in non paucis revelatio confirmabat, orro sicut antea, ita in posterum haec eadem substantiali illius regi-inis securitati sufficient. Atvero si illa moderna inventa eo usque per-ngere nequeunt ut novum detegant impedimentum iuris naturae diri-ens matrimonium, sine dubio tamen valent conferre ad huius regimen *cilius perfectiusque* exercendum: eadem igitur cum plausu suscipit ecclesia, promovet atque, ubi vix fuerint sufficienti certitudine demon-rata, adhibere non omittit in legibus connubii tam illustrandis quam plicandis.

SCHOLION II.

De impedimentis iuris naturae dubiis.

16. Aliqua profecto sunt impedimenta matrimonii, ex iuris natu-lis dictamine *positive dubia;* his tamen principium in propositione I, olutum, nequit applicari. In eis enim dubium non cadit super *exi-entia ipsius facti* quod fundamentum esset impedimenti; sed dubium t utrum hoc factum, postquam *naturalibus atque obviis mediis inno-it*, eousque naturae connubii repugnet ut contractum ipso facto effi-at invalidum. Idcirco Pontifex, ne hanc qualemcumque inconvenien-am inducat, non solet in huiusmodi dubiis connubium permittere, que inter DD. controvertitur utrum ipse saltem in casu aliquo extre-ae necessitatis, ad maius malum arcendum, ex plenitudine potestatis leat dispensare a lege ea ratione dubia (1). Illa mea ratiocinatio e

(1) Equidem censerem suppositum esse negandum, legem nempe impe-nenti existere certam vel ab ea etiam dubia Pontificem dispensare (utquid

contra cadit super ipsa *existentia facti* quod fundare deberet existe tiam impedimenti: porro de huiusmodi facto demonstravi ipsum, ni mediis naturalibus et obviis *suapte natura potuerit* antecedenter innc tescere, nequaquam posse per se solum constituere impedimentum iu naturae dirimens connubium.

PROPOSITIO II.

Totalis utriusque ovarii uterive deficientia in femina cuius vagina e copulae idonea, ubivix evaserit per se facile cognoscibilis ante co tractum connubium, ipsum irritat tantummodo ex capite consens substantialiter vitiati.

17. Haec propositio facile demonstratur sola evolutione principioru quae in prima propositione applicata sunt.

Ius quod in matrimonio coniuges sibi invicem tradunt, est ius corpus in ordine ad generationem: est igitur simpliciter ius generanc sed ius generandi per *copulam naturalem*, neque aliter quam per ea Nimirum copula est *immediatum ac totale obiectum* huius iuris, c generatio non refertur nisi uti *finis* per medium obtinendus. Copu est quidem medium, sed non unicum: ipsam enim subsequuntur al media, uti vidimus, ovulatio, conceptio, gestatio foetus et partus. quamvis ipsa non sit medium unicum, est tamen *primum:* viae initiu est et tale initium ut ipsum solum arbitrio subiaceat coniugum, nonnisi per ipsum, reliquus generationis processus saltem iuxta natur praescriptum licite ab eis promovetur, cum necessario copulam subs quatur ex subordinata operatione solius naturae. Propterea ad essentia

---

enim dispensaret *ad cautelam*, a lege propter dubium non *facti* sed *iuris*, obligandi certe destituta? Nonne vanus, timor ille legis aeternae quam Dei cum noluerit satis promulgare per rationem naturalem, profecto noluit hom imponere?) Idcirco potius dicerem in tali casu, *declarationem posse a Pon fice dari* quod necessitas maius arcendi malum, praevaleat *certae* illi inconv nientiae cum natura connubii, quae existere quidem demonstratur, *non aut pertingere ad vim impedimenti dirimentis.* — De ea quaestione Lector cc ferre velit quae, data occasione scripsi in citato opusculo, « Analysis Decr *Ne temere* », pag. 6, not. 5. Quae ibi leguntur, complentur tantum praese doctrina.

atrimonii sub praesenti respectu, sufficit ius tradi *ad copulam* nec test aliud ius tradi nisi ius ad copulam: cetera quae eam antece- nt, cohonestantur solum per ordinem intrinsecum quem ad eam ha- nt; quae autem eam subsequuntur, per se non sunt sub arbitrio sita contrahentium nisi in quantum obligantur ea non impedire. Ma- festum est igitur quomodo *potentia coeundi* praesupponatur tamquam ndamentum ipsius rei de qua contractus initur. Imo manifesta etiam ratio *intrinseca* propter quam defectus de quo loquimur, non potest atrimonium dirimere ratione sui tantum, et ratione *ineptitudinis* qua mina afficitur: quandoquidem haec ineptitudo perfectam copulam non pedit, immediatum scilicet et totale obiectum iuris in connubio tra- ndi: porro omnia impedimenta iure naturae dirimentia ex capite *ysicae ineptitudinis contrahentium*, determinantur solum per ordinem l copulam perfectam.

18. Ex altera parte generatio, uti paulo antea dixi, et ceteroquin nstat vel ex sola matrimonii definitione, generatio ad *causas* contra- us non pertinet uti res sive obiectum de quo sponsi immediate pa- iscuntur, sed tantummodo uti *finis ad quem*, sicuti vidimus, opus aritale suapte natura dirigitur. Opus porro generationis, in quantum coitu distinguitur in toto naturali processu, incipit a conceptione: circo coniuges ideo coeunt *ut* uxor concipiat, conceptum foetum gestet pariat. Dum ergo tres istae functiones relate ad ultimum terminum tinendum novi procreati hominis, rationem habent medii ad ultimum nem, spectatae e contra in sua naturali habitudine ad copulam, ra- onem habent finis intermedii, utpote tres functiones partiales totius eris generationis prout hoc contradistinguitur ab opere coitus, quod oprie est atque usu communi appellatur opus maritale.

19. Ex his fit evidens feminam totaliter recisam, etsi *materialiter* ta sit ad *coeundum*, esse tamen *ad generandum* ita ineptam ut de- tus ipsius non se teneat ex parte *immediati obiecti* de quo fit con- actus, sed tantum ex parte *finis operis* huius contractus, qui finis t generatio a sola femina perficienda consequenter ad maritalem con- essum. *Atqui* defectus circa finem contractus in quantum hic finis obiecto immediato sive *materia* contractus distinguitur, huiusmodi fectus contractum in tantum irritat in quantum consensum substan- aliter vitiat: **Finis enim tam operis quam operantis, rationem habet ni ad quod pro diversa indole singulorum contractuum, contrahen-**

tium voluntas suo tendit assensu. *Atqui* iterum, cum nihil sit volitum nisi praecognitum, defectus eatenus solum irritans quatenus vitiat consensum, per se et suapte natura facile cognoscibilis esse debet ut *possit in actu primo* consensum vitiare, nec vitiat per se et prorsus occultus atque impervius. *Ergo* cum iam fuerit demonstratum ineptitudinem illam femineam, *ratione sui obiective tantum spectatam*, non posse ex iure naturae constituere impedimentum dirimens, ineluctabiliter sequitur eamdem ineptitudinem, si ita saltem *per se* fuerit perceptioni obvia ut nonnisi *per accidens* effugerit contrahentem, in actu primo irritare connubium, *ex capite* tantum *consensus substantialiter vitiati*, atque si reapse contractus celebretur, in actu secundo consensum irritare (1).

COROLLARIUM I.

Duplex modus vitiandi consensum.

20. « Matrimonii valor, scribit P. Lehmkuhl, *Th. mor.*, *II*, *879* destrui potest... quatenus promissio turpis pro vera conditione *sine qua non*, habebatur; tum etiam quia *obiectum contractus matrimonialis atque consensus in illud essentialiter corrumpebatur*, *siquidem*, *obiecto essentiali mutato*, *contractus non subsistit* ». Terminus *obiectum contractus*, supponit heic non quidem ad significandam solam contractus *materiam de qua* partes stipulantur, sicuti paulo superius locutus sum de ea in oppositione ad *finem operis;* sed terminus iste supponit pro quocumque bono contractui substantialiter incluso, sive sit eius finis *operis*, sive eius materia sive forma sive subiectum: nam contrahentis

(1) Cetera impedimenta dirimentia quae non immediate vitiant consensum, sed *personam* vel *materiam* prius inficiunt, vel etiam *formam contractus extrinsecam* legitime praescriptam ad eius validitatem, huiusmodi impedimenta *etiam penitus occulta atque ab utraque parte ignorata*, contractum nullum efficiunt quia non vitiant consensum nisi *consequenter* ad vitium *materiae* vel *personae* vel *formae* extrinsecae quippe quae singulae sunt et ipsae obiectum implicitum assensus contrahentis, dum defectus circa finem non vitiat nisi consensum ; et in specie defectus de quo loquimur, potentia ad generandum, saltem praesumpta in femina in qua defectus eius latet, sufficere debet ad validitatem consensus praestandi. Id autem est naturaliter proprium solius connubii. Ideo si vitium occultum post initum contractum detegatur, non invalidat ipsum. Cfr. n. 11.

ssensus fertur in ista omnia tamquam in *obiecta*. Itaque ex illa Patris ehmkuhl animadversione manifestum fit vitium explicatum *duplici odo* inficere posse consensum: 1) si ante contractum de illo defectu puella constiterit; 2) si, quemadmodum impii quidam quorum *deus enter est*, fieri hodie consulunt, contractus ineatur sub conditione substantiae matrimonii contraria, ut uempe rescissio illa totaliter comleatur. Verum huiusmodi discrimen substantialiter non mutat titulum ullitatis quia sive factum iam notum ante contractum, sive conditio ssensui contractuali apposita, consensum non vitiat nisi quia *finem peris* pervertit.

COROLLARIUM II.

Quid legi ecclesiasticae decernere sufficiat in re praesenti.

21. Cum huiusmodi titulus contractum vitiet ipso facto ex lege aturali vel sola, opportunum est heic advertere necesse non fore ad efariam illam praxim de qua mentionem nunc feci, inter fideles abondam, ut Ecclesia, *iure suo* tantum, impedimentum in ea constituat: atis quippe est ut Magistra morum divinitus posita, ius naturae auhentice declaret.

SCHOLION I.

De ignorantia accidentaliter concomitante defectum in se facile cognoscibilem.

22. Ex praemissa thesis declaratione facile solvitur dubium, nempe uid foret decidendum in casu quo defectus de quo disputamus, ita eminae sive a nativitate, sive ab aliquo morbo accidisset, ut in se uidem obviis et certis signis se proderet, ex puellae tamen simplicitate atque harum rerum ignorantia, ipsi aliisque reapse mansisset ccultus ac inobservatus. Quid igitur de connubio quod haec puella bona fide constituta contraheret ad finem *operantis* generandi rolem?

Respondeo tale connubium, si unquam occurreret (qua de re vehenenter ambigere licet) fore nullum ex capite *erroris substantialis* caentis super *fine operis* coniugii. Simul enim habemus in hac specie acti, puellae consensum qui fertur in *finem operantis* substantialiter

erratum *ideo quia* coincidit cum *fine operis qui iam ex se atqu obiective est facile* **cognosibilis** *in sua impossibilitate, unde qua tenus talis iam est, dirimit matrimonium non quidem ex capite soliu ineptitudinis subiecti sed ex eo quod haec est in se facile cognoscibilis* Error igitur invalidat consensum puellae in finem *operantis:* causa autem erroris est *impossibilitas finis operis* quae eatenus tantum con tractum dirimit quatenus evasit *obiective cognoscibilis* et *subiectiv* coincidit cum fine *operantis* consensus qui reapse fuit datus. Si igitu hunc casum diligentius perpenderimus, nequaquam inveniemus thes propositae contrarium, cum ex ea possit optime explicari. At ver etiamsi eidem contradiceret, eius veritati non officeret: nam in eo *pe accidens* tantum ac omnino *praeter* defectus supradicti indolem contin geret, 1) quòd defectus ipse sive congenitus sive accidentali morbo indu ctus evasisset ex se facile cognoscibilis, cum oppositum ex ordinari naturae cursu verificetur; 2) quòd postquam defectus animadversioni s prodiderat, puellae cognitionem effugisset, adeo ut ne dubium quiden psi iniiceret de ipsius generandi potentia: *rara enim avis* est ill puella quae de nubendo cogitans, ea non curet edoceri quae ad opu maritale referuntur. Atqui naturae leges dignoscuntur constitutae no ex iis quae prorsus accidentaliter contingunt sed ex iis quae rebus *pe se* conveniunt. Casus iste igitur tantum abest ut veritati propugnata a me sententiae officiat, ut eidem potius suffragetur eamque in contra rium obfirmet, sicuti de omni exceptione dici debet quae naturae hu manae legibus accidit.

SCHOLION II.

De concupiscentiae sedatione, prout effectus est copulam concomitans

23. **Obiiciet** forte quispiam haec omnia vera fore si generati prolis unicus esset finis coniugii; in ea enim hypothesi, possibilitat finis *adaequate cessante*, probe intelligeretur consensum in contractu penitus frustrari, quippe cui obiectum et causa totaliter deficeret. Verum natura, revelatione etiam confirmata, alium apposuit connubio finem scilicet concupiscentiae sedationem. Qui finis *secundarius* quidem es quia non *immediate* sicut primarius, *publico* confert bono, sed mediant solum privato coniugum profectu quem promovet, eos liberando a cu

ine quaerendi contra naturae ordinem, explendae libidinis occasionem : aestus nisi comprimatur, ipsum socialem ordinem vehementer perbat. At vero quantumvis secundarius sit sub isto respectu hic finis, nifestum cuique est quanti referat societatem et ipsam, nedum iniduum solum, eum quam latissime obtineri.

Imo si factum investigare vellemus, ratione habita totius vitae iugalis eorum etiam quorum unio fecunda ab initio fuit, facile *plures neraremus* qui matrimonio utuntur spe vel amissa vel nunquam bita generandae prolis, unice ad conpescendam libidinem. Huiusmodi em factum indicium evidens est urgentissimae necessitatis qua pretur natura ipsa ex *innata* constitutione, nedum solummodo ex abusu gulorum. Finis igitur moderandi tantam, tam universalem, imo naalem necessitatem, cui sapientissimus naturae Conditor matrimonium nquam medium adaptavit, finis, inquam, huiusmodi et ipse praecius aestimari debet, quippe qui aptissime concurrit ad promovendnm omni vitae et perfectionis ordine genus humanum, imo ad ipsam eius *opagationem* augendam individua disponit. Dum igitur secundarius o illo quem superius dixi, respectu dici debet, fere *aeque primarius* alter propagandi generatione homines, non immerito praedicari post. — Atqui si ita est, quidni diceremus virum et feminam quibus, praecognito huius defectu, copula in hunc *tantummodo finem* est ssibilis, valido connubio ex instituto naturae posse se invicem oblire?

Haec reapse atque alia similia visa sunt tanti valere ut concludi to posset potentiam *coeundi* in femina coniunctam cum totali *generndi* impotentia etiam antecedenter cognita, nec valori nec liceitati eundi connubii quidquam officere.

24. Certo tamen demonstrari potest aedificium istud totum **fallaci ti supposito**, errata scilicet notione *finis operis* ipsius matrimonii.

Sane matrimonium nec merum ius est nec merum opus animale, d utrumque complectitur, alterum alteri connexum. Est quidem ius contractu resultans, seu mutuum obligationis moralis vinculum ; ius tamen obiectum consistit in facultate exercendi *appetitum sensalem* quo homo se movet ad fungendum potentia animali producendi rmen alterius hominis. Huiusmodi itaque naturae institutum vitam riusque ordinis involvit, sensitivam et rationalem. Hoc praesupposito, finis *operis* accurate definiatur, qui proprie competit tali naturae

instituto, compositum humanum scindi omnino nequit in duas parte independentes : ea nempe quae spectant ad partem inferiorem non rect determinantur, praesertim in ordine morali, non solum independente a subordinatione quae propria ei est erga partem rationalem, sed mult minus detrahendo parti rationali ea quae ipsi debentur. — Omnes quo alloquor, facile concedunt finem sedandi concupiscentiam haud esse pro sequendum absque ullo respectu ad rationis regulam, sed solummod tamquam *remedium* quo haec regula facilius observetur: nequaquan enim agitur de errore materialismo affini. Verum quaestio praecise cur eis vertitur num haec rationis regula permittat adhibere contractur matrimonialem in concupiscentiae remedium, *etiam* quando, propter co gnitam illam feminae anomaliam, *impossibile factum est* ut contrahente ius sibi *velint* tradere ad generationem ideoque hunc matrimonii finen consensu contractuali intendant. Haec porro ut quaestio solvatur, in quirendum venit num finis *operis* quem natura connubio praefixit, sina ipsum deprimi ad rationem *puri medii quo* finis sedandae concupiscen tiae *exclusive* quaeratur. Ideo dixi sententiam cui repugno, errato nit supposito circa ipsum conceptum finis operis qui matrimonio competit

25. Ut quaestionis ita propositae solutio negativa demonstretur duo paulo uberius explicare liceat: primum refertur ad finem *operis* matrimonii, alterum ad habitudinem concupiscentiae ad ipsum.

I. Matrimonium nequaquam est medium suapte natura *indifferens* quod ex operantis destinatione et usu, finibus diversi ordinis conse quendis adaptatur: sicut v. gr. ignis quo utimur tam ad coquendum cibum quam ad breviarium illuminandum, dum matutinum recitamus Sed matrimonium cum copula quae praecipuum est eius elementum est tota sua constitutione a natura destinatum ad genus humanum ge neratione multiplicandum; hic non vero alius est eius finis *operis* Opus quidem generationis, ut antea explicatum est, multiplici et suc cessiva viri feminaeque functione physice completur; hae tamen, si sin gulae in sua natura inspiciantur ac propria « organizatione », repe riuntur adeo intima et mirabili subordinatione invicem sibi succedere ut potius quam plures, unam constituere operationem merito videantur Haec autem complexa operatio in unum finitur terminum, prolis gene rationem (1). Ista duo idcirco, copulam maritalem atque essentialem

(1) Haec intrinseca habitudo subordinatorum organorum ad ultimum ter minum, qua sola generandi potentia constituitur, potest dupliciter impedir

etaphysici dicerent *transcendentalem*) habitudinem ad generationem do naturae fecit omnino inseparabilia; velle totum utriusque com- exum est ipsum velle matrimonium; velle primum, scilicet copulam, *cludendo alterius possibilitatem* (1) est velle aliud quid penitus et sentialiter diversum ab eo quod natura statuit esse matrimonium.

26. Explicata utriusque elementi inseparabilitas confirmatur ex mparatione cum ceteris omnibus quae iuxta communem doctrinam, consensui ut conditio accesserint, eius vitiant substantiam in hoc ntractu: cur enim nullus est consensus illius qui nubere vult sub nditione contraria alicui ex tribus bonis matrimonii, nisi quia sin- ilae huiusmodi conditiones pervertunt in aliquo elemento substantiali, *nem operis*, *matrimonii proprium*, quem ille contrahens ore ab animo scorde, in celebrando contractu profitetur se velle? Cur ergo hic alter ui *pari ratione* propter sibi notam feminae anomaliam, necessario *cludit* e suo consensu ipsam *substantialem* generandi possibilitatem, uantumvis intendat mederi suae concupiscentiae, cur, inquam, et quo- odo poterit valide ducere huiusmodi feminam? Eadem conclusio ite- m confirmatur altera comparatione: connubio nimirum alter etiam aefigitur a natura, *operis* finis, et ipse quidem praecipuus, quippe io connubium fit origo societatis familialis: initur nempe ad finem

---

nominus hunc terminum reapse obtineat: vel *substantialiter*, si vel ipsum ri semen vel unum ex illis organis deficiat; vel *accidentaliter* sive *functio- liter* (si ita loqui placet) quando nempe solum organi ceteroquin integri *ercitium* impeditur sicut v. g. plerumque in viro sene, in femina prolis ste- i. Quocirca defectus mere functionalis potest quandoque verti in substan- lem: ut puta, paralysis prorsus incurabilis aut nimia et tanta nervorum iave debilitas ut vir ante seminet necessariamque amittat erectionem quam vaginam penetrare sufficienter valuerit; femina vehementi vaginismo irre- ediabiliter affecta; atque alia si qua sunt huiusmodi, quae *praeviam*, ut sic quar, impotentiam inducunt, vel accuratius: quae praevium inducunt obsta- lum quominus functio quaedam essentialis organo ceteroquin apto exerceatur.

(1) Dico *excludendo generationis possibilitatem*, sive propter agnitam am feminae anomaliam sive propter *subiectivam* tantum contrahentis inten- nem, quae hic conditionem apponit contra bonum prolis. Si illa feminae ano- alia est adhuc penitus occulta, voluntas contrahentis non *excludit* generationis ssibilitatem sed implicite vult eam in quantum vult copulam quae suapte tura ei refertur atque ex communiter contingentibus praesumit eamdem in fe- ina adesse: quod propter peculiarem materiae huius contractus indolem, nnino sufficit, uti demonstratum est.

